



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quomodò charitati proximi cedere debet omnis lex, tam diuina quàm humana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

hominem, & soluat vinculis Sathanæ ligatum. Necessitas ergò non violat sabbathum, sicut Christus exponit Matth. 12. & excusat suos discipulos, qui spicas vellebant sabbatho ad manducandum, quia esuriebant; ibi necessariò dispensabat de lege sabbathi. Sic comedit David panes consecratos, quod non licebat nisi Sacerdotibus, 1. Reg. 21. ibi quoque necessariò dispensabatur. Sic sacerdotes mactabāt sabbatho animalia in templo, & violabant sabbathum, idq; sine crimine: Non hoc legistis in lege, inquit Christus ad Phariseos Matt. 12? Igitur necessitas dispensat, sicut tamen vt dispensatio sit, & non abrogatio legis: sed vt cæremonia non impediatur propter officium verbi, aut alio tempore conferuetur. Officia igitur & opera, quæ non sunt mali exempli, diebus festiuis non sunt reprehendenda, modò ministerio publico suum conferuetur honor.

3. Tertiò, omnis lex tam Dei quàm hominis, exponitur atque exigi debet, iuxta regulam dilectionis proximi, id est, si obseruatio alicuius legis est contra charitatem proximi, non tenemur obedire legi: est enim charitas proximi maior & potior lege, sicut Christus inquit Mat. 12. Si sciretis quid est hoc Osee 6. cap. Misericordiã volo, non sacrificium: nunquàm condemnassetis innocentes. Ideò si charitas exigitur, debet lex cedere. Sed officia & dilectionis opera superiora sunt cæremonijs & sabbatho. Sic Moyses per annos quadraginta nõ circuncidebat filios Israël in deserto iuxta præceptum Dei Genes. 17. Omne masculinum genus circuncidetur: nam ibi necessitas & charitas dispensabāt, quòd cogebantur ambulare in armis, & pugnare contra gentes, vt essent validiores. Sic Christus sabbatho sanat manū aridam, Mat. 12. Debet itaque charitas esse regula legis: Sic enim dicit Apostolus Roma 13. Dilectio est impletio legis: & nihil cuiquam debeat, nisi vt inuicem diligatis.

Le

Lex omnis contra charitatem & necessitatem, non ligat aliàs tamen ipsa lex non est abolenda: sed lex cedere, debet in casu charitatis & necessitatis, ita tamē, quòd alio tempore lex seruetur, vbi lex & necessitas non vrget. Sic quoq; inquit Christus Mat. 12. Dominus est filius hominis etiam sabbathi, hoc est, sabbatum nos non iustificat coram Deo: sed fides in Christu, facit nos liberos ab omnibus cęremonijs Iudais, sicut ad Colof. 2. Apostolus dicit: Nolite vobis facere conscientiam de certis diebus &c. dicentes, Ne tetigeritis, &c. vbi Apostolus vult nobis esse conscientiam liberam, & non alligatam cęremonijs, &c. Ideò Christus excusat. Etiam vna lex alteram tollit in necessitate: sicuti pręceptum fuerat in lege, quòd octauo die puer circuncideretur, at sic sæpē contingebat, quòd sabbatho cogebantur circuncidi, quia hæc octaua erat dies: & sic vna lex tollebat alteram. Mar. 3. & Christus concludit, quòd sabbatum est propter homines, & homo nō est propter sabbatum, sed potius est Dominus sabbathi, sicut Christus dicit: Dominus est sabbathi filius hominis: & hoc ipsum factō demonstrat, quòd sit Dominus sabbathi, nam sanauit infirmos sabbatho. Si enim fuisset hoc contra Deum, vt dicebant Pharisei, quid sabbatho curaret, non potuisset infirmos virtute Dei sanare sabbatho, nam Deus non est contrarius sibiipsi. Tollit igitur in casu lex vna alterā, & charitati debent cedere omnes leges & traditiones. Vult enim charitatis officia potius quàm legis in necessitate: alioqui & lex non abrogatur. Sed extra casum necessitatis obseruatur. Sic vult misericordiam, non sacrificium, Osee 6. Sic iubet reconciliari patri Matt. 5. antequam munus ponatur in altari. Sic arguit Phariseos de corbana Mat. 23, quòd negligebant pręceptum dilectionis erga parentes.